

2963

C O D I C E S

2964

*Johanni Cbrysf.* eripiendam, maxime illud, quod in ea *Johannes* ipsemet nominetur.

DCCCXXIV.

- 74 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 28. f. caractere luculento ab insigni Calligrapho exaratus, pluribusque picturis linearibus cum frontium, tum marginis decorus continet *Praeparationem ad Missam Pontificalem, Ordinem Missae et Recessum ab Altari*, in usum quondam *Francisci Principis a Dietrichstein* Card. Episcopi Olomucensis, Viri Caesaribus acceptissimi ac de utraque Rep. meritissimi, cujus *Insignia* non modo passim per ipsum Codicem, sed in ipsa theca exterius visuntur his verbis adjectis: *Franciscus Cardinalis a Dietrichstein Episcopus Olomucensis Princeps &c. M. DC. VII. Preces in Canone sic conceptae sunt: Et pro Papa nostro N. et Imperatore nostro N. et me indigno seruo tuo.*

DCCCXXV.

- 418 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 275. 4. non una manu, sed per totum eleganter scriptus, rubricisque ornatus *Liturgica* complectitur saltem priore sui parte, olim ad *sanctum Germanum spiren.* tunc Coenobium O. S. B. a *Dagoberto I.* fundatum, pertinentia, quae se hoc ordine excipiunt: I. praemissis fol. 1. et 2. Orationibus *ad Vesperum, Matutinalibus, de S. Cruce, et*

*Affectu Dolentis de Peccatis*, qui totus e biblicis sententiis praeclare contextus est, *Incipit Graduale*, id est *Introitus, Gradualia, Offertoria et Communiones* per totum annum sive in Dominicis, et Feriis, sive in Festis SS. tam propriis, quam communibus in Missa cantari solitae, notis *Muscis* Textui superimpositis. Initium: *Dominica. IIII. Ante. N. D.* scilicet I. Adventus. *Ad Te Leuauit Animam Meam &c.* Natalis *Johannis Evang.* duas Missas habet, quarum una *Prior*, altera *Publica* inscribitur. *Prior* illa *Vigiliam* subplet, quae ob *Stephani* Festum pridie celebrari nequit. Praeter Missarum habentur et aliarum Ceremoniarum Cantus, ut: *Ad processionem in Purificatione S. Mariae, in Die Palmarum*, ubi, *Gloria laus et honor &c.* praenotatur: *Uersus Fortunati* (Venant.) *Episcopi*; idem Titulus imponitur Fer. VI. in Parasceve Hymno: *Crux fidelis inter omnes &c.* et Dom. Paschatis Elegiae: *Salve Festa dies &c.* Finem faciunt: *Antiphona in Letania Maiore et Missae Ad Pluuiam postulandam et Pro Siccitate Terrae.* De aliis Necessitatibus publicis nihil.

II. fol. 47. caractere grandiore absque titulo *Liber Sequentiarum*, qui incipit: *In Natali Domini. De Nocte. in Primo Gallicinio.* E collatione instituta cum Editio T. I. *Thef. Anecd. Cl. Pezzii col. 18.* observo in ejus Cod. defuisse Seq. nostram primam: *Nato canunt omnia Domino pie agmina*